



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1655

§. 205. Tunc Crucifixi sunt cum eo duo latrones. v. 38.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

Quia dies multos sedebunt filij Israel sine rege, & sine principe & sine sacrificio & sine altari & sine ephod & sine Theraphim. Et post hæc reuertentur filij Israel & quarent Dominum Deum suum & Dauid regem suum, & pauebunt ad Dominum & ad bonum eius nouissimo dierum.

ERgo mi Iesu, Rex es & credentiū & cœli & terræ. Ita credo & confiteor nomini sancto tuo, cum sanctis Magis, & omnibus Angelis qui adorant te, omni tempore, & ego adorabo in sæcula sæculorum. Sit tibi hic & in æternum omnis honor, gloria, virtus, potestas per infinita sæculorum sæcula, Amen.

§. 205. *Tunc Crucifixi sunt cum eo duo latrones. v. 38.*

Cum Pilatus hunc titulum verissimum inuitis Iudæis cruci affiguerat super caput pendentis in aëre ad crucem, ut quantum Dominus honorabatur per eum titulum, tanto magis confunderetur per collaterales suos, horratu Iudæorum aggressi sunt carnifices duos, in iudicio iustè damnatos latrones, eos quoque cruci affixerunt, & firmatos leuauerunt in aëre consolidantes eorum cruces magna principum Iudæorum approbatione, accedente forte Pilati consensu, ut hic quidem famæ suæ consuleret, ne videretur Innocentem occidere & reis parcere: illi verò ut latronum Societate maiorem Christo infamiam aspergerent iuxta scripturam illam quam etià ipse Christus de se interpretatus est, *Cum iniquis reputatus est*: ipse permisit sese eo modo reprobari & mori, descenderat enim de cœlo peccatores saluos facere: bene per hos latrones intelligimus cunctos peccatores, quorum aliqui positis meritis Christi per Dei gratiam conuertuntur, quidam vero indurantur, sui liberi arbitrij usu & abusu.

EAmus, oro, & videamus visionem hanc magnam, & discamus imposte-
rū nō ægre ferre, si innocentes cum impijs computemur, si colloquemur ab hæreticis nos Catholici inter idololatrias, cum adoramus Christum in Eucharistia, in cruce pendentem, &c. Non feramus ægrè, sic enim patres eorum fecerunt Christo, posuerunt eum inter latrones, si hoc pertulit ipse Christus, & iuxta doctrinam suam vltimo & abiectissimo loco recubuit in cruce & pertulit se ita abiici, ad exemplū nobis id fecit, ut satageremus deprimi & infamari apud mundum cum omni patientia, ut ita apud ipsam magis exaltaremur & glorificaremur.

§. 206. *Vnus à dextris & vnus à sinistris. v. 38.*

Utque maiori adhuc Christum afficerent iniuria composuerunt eum, non solum cum latronibus, sed vnum latronum à dextris eius, alterum à sinistris